

Q̄d in veteri testamento erāt

helye quattuor discipuli principales rectores et superiores aliorum discipulorum ab eodem constituti.

Cap. iiii.

Huius sancti viri prophete helye: erant quattuor principales discipuli: in alijs etiam locis: extra montē carmeli. curam aliorum filiorum prophetarum gerentes. Inter quos primus non tempore: sed dignitate et virtute fuit helzeus: sibi a deo assignatus. de quo ecclesiasticus. caplo. xlvij. In helzeo completus est spiritus eius: scilicet helye. In diebus suis non preuenit principem: et potentia nemo vicit illum: nec superauit illum verbum aliquod: et mortuum prophetauit corpus eius. In vita sua fecit monstra: et in morte operatus est mirabilia. Sic in galgalis patre saphat: de tribu ruben fuit natus. In cuius ortu tale contigit prodigium: ut vna imago ex vitulis aureis mugiret acute. Quo audito in hierusalē sacerdos: dei nutu ait. Propheta natus est in israel: qui sculptilia deorum destruet et fusilia. Hec magister in historijs. **C** helye igitur transito. helzeus pallio helye quod ceciderat iordane diuiso: venit ad discipulos. Qui venientes adorauerunt eum proni in terra. Ubi dicit nico. de lyra. Adoratione dulci: tamquam superiorem suum. dicentes requieuit spiritus helye super helzeum. **A**cepta igitur prepositura: que nunc dicitur prioratus vel generalatus: studuit singillatim loca filiorum prophetarum visitare: in singulis locis aliquandiu prout oportunitas exegit commorando. atque ad eorum consolationem et gloriam dei. diuersa. ut in quarto regum libro apparet coram eis signa et virtutes operatus est. **I**nde vero cupiens ampliare sue religionis loca: ad rogatum congregationis fratrum de iericho: statuit nouum monasterium siue locum circa iordanem. ut patet quarto Regum. iij. Idem testatur hieronymus ille magnus pater heremita et carmelita in epistola ad rusticum. **N**os habemus prepositi nostri principes. paulum. antonium.